4 61

✠

VERTITVR IN DVBIVM:

VTRVM BONA EPISCOPI TITVLARIS EX REGVLARIBVS ASSVMPTI SVBIACEANT EXPOLIO ECCLESIASTICO? AN VERO EPISCOPVS POSSIT DE ILLIS TESTARI, NEC NE?

MOVET QVÆSTIONEM

D. Fr. DIDACVS DE GATTICA ORDINIS B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, Episcopus Vtticensis, Auxiliator Archiepiscopatus Hispalensis, ex licentia D. D. sui Illustrissimi, & Reverendissimi D. Antonij Payno, eiusdem Civitatis dignissimi Archiepiscopi:

DICAT, ET CONSECRAT PERILLVSTRI Doctori Domino Didaco Treviño, ipsius Archiepiscopatus Provisori, & Vicario Generali.

EXPOLIVM Ecclesiasticum, secundum Filiucium tract. 43. cap. 1. num. 1. non tam diffinitur, quàm describitur sic: *Quidquid in bonis Ecclesiasticæ personæ post mortem ipsius, nec ex testamento pertinet, nec ab intestato.* Consonant Guillielmus Redoanus, in eleganti tract. de bonis post mortem relictis, vulgò, expolia, nuncupatis, Martinus ab Alpizcueta Navar. Clem. de expol. Cleric. §. 1. Super Cap. *Non liceat Papæ.* 12. q. 2. Ioan. Azor, in qq. de expol. Cleric. cap. 1. Hieronym. Maynatiac. in sua erudita consult. de expol.

Ex parte personarum, ad quas aliter, quàm iure hereditario, pertinent bona, poterant dividi in expolium R. C. Apost. in expolium Ecclesiæ, cui præest Episcopus, & expolium Monasterij, à quo Epis

A copus

copus Regularis fuerat assumptus. Nunc solùm loquimur de primo, alijs iam per Pontificias Constitutiones abolitis, & sic Pius V. in const. de qua. Navar. de expolijs, & post illum Azor, p. 2. lib. 8. cap. 3. q 6. negat esse expolia, vasa sacra, paramenta, & alia vtensilia, quia etsi Ecclesiæ, cui Episcopus præerat, deberentur, vt iure cautum est, non tamen in eis succedit Apostolicus Fiscus.

Prælibandum est in ipso limine, in Episcopo titulari Regulari, vt possit de suis bonis, sine Sedis Apostolicæ privilegio testari, duplex consurgere impedimentum, communiter à Doctoribus prænotatum; alterum personæ, videlicet Religioni addictæ; alterum naturæ, & qualitatis bonorum, de quibus vult testari. Vndè monet Nav. de expol. §. 6. num. 3. quòd dum Iulius III. in extravag. dat. anno 1549 impertitur decedentibus in Curia facultatem, vt liberè, & licitè valeant disponere de redditibus Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, &c. Non ideò Regularis, adhùc in Curia moriens, poterit testari, quia sublato vno impedimento non tollitur aliud. Cap *Ex tuarum*, de auth. & vsu pallij, l. *si domus*. ff. de servit. vrb. præd. Quia per talem extravagantem solùm tollitur impedimentum, quod ex natura redditum nascitur, non autem aliud, quod inest Religioni. Et sic alia extrauag. Pauli IV. expresè restringit hoc privilegium testandi ad Clericos sæculares decedentes in Curia.

Sic etiam Aug. Barb de offic. & potest. Episcop. alleg. 114. n. 24. ait, quòd *Religiosus Episcopus obtinens à Pontifice licentiam testandi, etiam ad opera pia, duplex impedimentum tenetur explicare, vt dispensatio legitima sit: alterum, se esse Religiosum: alterum se esse Episcopum, quod duplici hoc impedimento ad testandum affectus sit.*

Et sic Regularem in Episcopum promotum, de nullis bonis testari posse, sed bona eius qualiacunque sint, etiam ex redditibus, seu fructibus non provenientia, expolio subiacere; tenent, citat. Barb. num 20. Molina disp. 140. ad fidem. Azor lib. 12. cap. 10. q 6. Nav. coment. 4 de reg. nu 6. Fr. Emmanuel. tom. 2. q. 58 art. 6. & tom. 3. q 69. art. 4 Bellet. disquis. Cleric. p. 1. tit. de bonis Cleric. § 8. Noguerol in erudita allegat. 26. per totam. Solorzano de iure Indiar. lib. 4. cap. 11. Card. de Lug. in respons. moral. lib. 5. dub. 1. & alij innumeri, quos refert, & sequitur Thom. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 6.

Suffragantur, præter dictos, eidem sententiæ quotquot asserunt Religiosum creatum Episcopum non eximi â paupertatis voto, nec effici verum dominum redditumm Ecclesiasticorum; quia vota ab eo emissa in Religione non laxantur, nec limitantur, nisi quatenus illorum observantia obstat executioni muneris Episcopalis. Abdicatio autem omnis dominij non obstat Episcopali muneri, dummodò ei superstiti libera bonorum omnium administratio, vt in quoslibet decentes vsus expendeat, concedatur. Tum quia, vt communiter circumfertur, Episcopus, præcipué Regularis, in vita com-

comparatur vsufructuario, in morte verò æquiparatur vsurario: quorum neuter dominium exposcit. Deinde quia Episcopus, vt ait S. Thom. 2.2.q.158.art.8.& q.88.art.11.ad 4. potius debet ascẽdere, quám descendere, altiusque indies perfectionis scandere fastigiũ; si autem á Monacho in Episcopum, & in reddituum dominium exulante paupertate, eiusque confracto vinculo transiret, potius descenderet, quam ascenderet, & ex Magistro fieret discipulus. Sic tenent, præter citatum S. Thom. Covarrub. Valent. Paeian. Henriq. Grafiis, vterque Molina, Surdus, Tapia, Lessius, Ledesma, & alij longa serie relati á iunioribus, præcipuè à Thom. Sanchez, in Decal. lib 6. cap. 6.

Videntur id quasi indubitatum stabilire sacræ Romanarum Pontificum Constitutiones, Extravag. Pauli III. anno 1541. Breve Pij IV. anno 1560. Bulla eiusdem Pij IV. eodem anno. Item Extravag. Pij V. anno 1565. quarum fragmenta adducit, & expendit, citat. Navar. Rodoanus, Azor, Hieronymus Maynatiac. Filiucius, & alij.

His tamen non obstantibus, salva semper meliori DD. censura, existimo Episcopum Titularem, alias Regularem, posse absque privilegio Sedis Apostolicæ, sivè in Curia, sivè extra Curiam decedat, testari: nec posse Apostolicum Fiscum eius bona Cameræ, tanquam expolia, vindicare. Huius sententiæ sunt, ni fallor, Diana, Villalobos, & Machado, mox citandi, D. Fr. Acacius March. de Velasco, Pellizarius, Hostien. Medina, Si, Gratianus, & Rodriguez, eamque reputat probabilem Thom. Sanch. lib. 6. in Decal. num. 10. cap. 6.

Et vt maiori claritate procedam, sic discurro: Si Episcopo Titulari Regulari testandi esset interdicta facultas, aliquo vè ad id impedimento laboraret, maxime id cõtingeret, vel quia esset Episcopus, vel quia esset Regularis: at neutrum ex his duobus capitibus obstet, dum sic Titularis: ergò potest de bonis tempore mortis manentibus testari. Maior est indubitata. Minor verò probatur.

Et in primis, quòd Episcopatus non obsit Episcopo Titulari, si Regularis non sit, quominùs posit testari, id expresé fatetur Solorzano de iure Ind. lib. 4. cap. 11. Ricciol. lib. 2. elucubrato cap. 10. & alij statim adducendi. Et ratio videtur perspicua, quia vt communi DD. stabilitur consensu, Episcopus sęcularis potest testari de bonis patrimonialibus, seu quasi patrimonialibus; vt tenent Marta de iurisd. p. 4. casu 24. num. 3. Cardoso in praxi iudiciali, verb. Episcopus, num 55. Barbosa dict. allegatione. 114. num. 10. idemque ait Navarro, tom. 5. de expolij Cleric. §.1. num. 3. in summario, per hæc verba: *Bona patrimonialia, vel quæsita ex eis, vel per industriam, non dicuntur expolia.* Guillielmus Rodoanus, etiam de expolijs, q. 3. num. 11. sic habet: *Ex hoc etiam aliqui inferunt, quòd Episcopi poßunt testari de illis, quæ acquirunt ab his, qui sacris Ordinibus iniciantur.* Et num. 12. *Vnde textus* (ait Rodoanus) *ita est intelligendus, vt idem dicatur de rebus, quæ Episcopus*

pro-

propria industria acquisivit, quod dicitur de rebus, quæ manifestè ei iure sanguinis obuenerunt. i

Sed sic est, quòd talia sunt bona, quibus gaudent Episcop Titulares: ergò poterunt de illis testari, si Regulares non sint. Minor patet. Quia & sunt bona patrimonialia, quæ labore & industria acquiruntur, non intuitu Ecclesiæ, nec Episcopatus, sed in stipendiũ laboris: sed talis qualitatis sunt bona Episcoporum Regularium: nempè quæ accipiunt, vel ab his, qui ad Ordines promoventur, vel ab illis, qui Sacramento Chrismatis liniuntur, in quibus omnibus personalis industria, & labor Episcopi conspicitur, vt sit Mercenarius dignus mercede sua. Et non alligetur os bovi trituranti, vt ait Scriptura: ergó sunt quasi patrimonialia, & sic nequit ea, Episcopo decedente, Apostolicus Fiscus invadere, & vindicare.

Vnde Covar. cap 1. num. 1. & cum eo Thom. Sanchez lib. 2. compil. cap. 2. dub. 45. num. 8. cum alijs ait. *Bona, quæ Episcopus accipit ab his qui Ordinibus initiantur, sunt ex industria acquisita, & ideó probabilius esse posse de illis, sicut de bonis patrimonialibus, disponere, quia propter personalem laborem à fidelibus dantur.* Idem tenet Barbatius, quem citat & sequitur Naezanus, opusc. de redd. q. 1. n. 7 & 75. Attende iterum eundem Thom. Sanchez dub 51. num. 4. *Probabilius est posse Episcopos de talibus bonis ad quosvis vsus testari, quia talia bona propria industria, & labore acquiruntur, & sic sunt illorum absoluti domini; nec aliquo iure prohibentur de ijs testari. Ex eo enim à Canonibus talia bona Ecclesiæ adiudicantur, quia præsumitur ex bonis Ecclesiæ acquisita fuiße, vt tenet Turrecremata, Covar. Silvester, Angelus, Panormit. & alij.* Hucusque Thom. Sanchez.

Sic in facti contingentia, in Civitate Valentina, cum in obitu Reverendissimi D.D. Hyacinthi Minuarte, Episcopi Moroneñ. secularis, anno 1659. cum ex parte illorum, ad quos expoliorum bona ex conductione pertinebant, tentatum fuerit præfati Episcopi auxiliaris bona invadere, re melius perpensa, notissimam timentes repulsam, non expectata sententia, à suscepta Provincia destiterunt, quasi exploratum, & procomperto habentes nullum dominium in Fisco Apostolico, vel in eius iura habente, acquiri posse in bonis Episcopi Titularis, si Regularis non sit, quia iura solùm loquentur de redditibus, & fructibus, quæ in Titularibus nulli sunt.

Venio iam ad secundum, & potissimum impedimentum, in quo totus huius difficultatis cardo vertitur: Vtrùm scilicet, Episcopo Titulari, saltem quatenùs Regulari, interdicta sit testandi facultas? In hac parte videmur adverso iure, quasi adverso Marte, dimicare. Nam passim Theologi, & Iurisconsulti clamant, Religiosos creatos Episcopos, non solùm in bonis, quæ ante promotionem habebant, quorum consultò describunt inventarium, sed etiam in bonis tempore Episcopatus, non sibi, sed Monasterio olim acquisiuisse. Cap. *Cum olim*. 3. Cap. *Non dicatis*. 12. q. 1. Postea in Monasterij iura Ecclesiam, cui præest, vel successorem in

Præla-

Prelatura succésisse. Minimè verti potest Constitutiones citatas Pauli IIJ. Pij IV. & Pij V. clarissimè ad Cameram Apostolicam ea bona spectare. Etenim ante Paulum IIJ. non constat quod Sedes Apostolica per aliquam Constitutionem editam claré reservaverit sibi, & suæ Cameræ expolia, vt colligit. Nav. ex illis verbis extravag. *Ex eo quod Constitutione forsan non caveatur*. Religiosi etenim quia tales semper manent inhabiles ad dominium, sive id proveniat ex paupertatis voto, quo se habent partim vt servi, partim vt filij; vt ait Læsius, cap. 41. dub. 8. n. 71. sive proveniat inhabilitas ex iure positivo; vt veriùs sensit Card. Lugo, de Iust. disp. 3. sec. 4. n. 75. Et ideò idem Lugo in responsis moralibus, lib. 5. dub. 1. loquens de donatione facta ab Episcopo Regulari ęgrotante in favorem sui nepotis, ait. *Dispositio post mortem interdicta omnibus Regularibus, etiamsi sint Episcopi, vt cum communi sententia, tenuit Rota in recent. posth. apud Farina tom. 2. decis. 548. num. 2.*

Tum quia Religiosus non habet velle, nec nolle. 12. q. 1. C. p. *Non dicatis*. Item defectu bonorum, non, cum ipsi nihil possideant, sed possideantur, nihil habent, tam in habitu, quám in actu. Cap. *Ad Monast.* de statu Monach. vt notavit Rodoanus q. 7. n. 11. Et sic Religiosos factos Episcopos, semper manere inhabiles ad dominium, & consequenter ad testamentum, tenēt quadraginta & duo Doctores, quos citat, & sequitur Thom. Sanch. in summa, tom. 2. lib. 6. num. 8. quibus Diana 3. p. tract. 2. resol. 50. addit Tannerum, Sanctarellum, Cenedo, Barbosam, & Bartholomæum. 1. I. Tausto.

Sed tamen in hac parte contraria sententia asserens; Religiosos factos Episcopos, effici etiam veros reddituum, & bonorum dominos, est etiam probabilis, quam tuentur Sotus de iust. lib. 7. q. 4. art. 2. ad vlt. Vazq. in 12. q. 69. art. 4. dis. 165. cap. 8. n. 91. in fine, & n. 104. Palacius, Medina, Angles, & alij, quos citat, & sequitur Diana dicta resol. 50.

Hac sententia probabili de dominio Regularium, dum sunt Episcopi, quam nunc non exagito, sed vt notam suppono, pergo ad testamentum, & vt dixi, arbitror esse probabile posse Regularem creatum Episcopum Titularem condere testamentum; eamquè defendere authores supra à me citatos. Adducam ęorum verba. Vt pateat qua fide in re tam difficili à me citentur.

P. Thom. Sanchez ait; hanc opinionem esse probabilem, quamvis ipse oppositá docuerit. Audi eius verba, lib. 6. in Decal. cap. 6. n. 10. *An integrum sit Episcopis Religiosis testari de bonis Patrimonialibus, aut propria industria acquisitis, eo modo quo id fas est Episcopis sæcularibus? Quidam affirmant i Hostiensis, Michael Medina, Sa, Gratianus, Emmanuel Rodrig. & est probabile.* Quid clariùs? Ergo probabile est Episcopum Regularem Titularem, cuius bona, vt probavi, sunt quasi patrimonialia, posse testari, nec ipsis expolium imminere.

Diana in citata resol. 50. pro coronide hæc ad ré præsentem addit aurea verba. *Ex his patet, potuisse liberè supra dictos Episcopos* (lo-

quutus

quutus fuerat exprefè de folis Regularibus) *teftari de bonis patrimonialibus ex induStria acquifitis*; ibidemq; citat. Patrem Villalobos, funt enim egregia eius verba: Titulus enim dubij, talis erat: *Del Obifpo, que era Religiofo.* Et n.6. ait: *Es probable fentencia, que puede hazer teftamento de lo que adquiriò, o heredò, lo qual confieffan algunos de la opinion contraria.* Et n.11. fic habet: *La fegunda opinion dize, que le puede hazer* (loquitur de teftamento) *y efta opinion han de tener los que tuvieren que queda abfuelto de los votos.* Præme hæc vltima verba.

Ex illis enim fic difcurro. Eodem gradiuntur paffu, vt egregiè notat Villalobos: & ratio ipfa fuadet, Religiofos, dum promoventur, effici dominos bonorum, ac poffe de illis teftari: fed fic eft, quòd eft opinio valdè probabiles veros effici dominos bonorum, atq; paupertatis voto manere abfolutos, vt præter fupracitatos Authores, tenét Petrus Hurtado de Mendoza, & Michael de Palacio infignis Salmanticenfis Theologus, adducti à Diana. 5. p. tract. 1. refol. 64. Imo idem Thom. Sanch. qui contrariæ fententiæ mordicus adheret, hãc fatetur probabilem: Ergo, quemadmodum eft probabilis in Regularibus fententia de dominio, erit etiam fententia de teftamento. Maior propofitio patet, quia fi aliquod inter hæc duo, fcilicet effe dominum, & poffe teftari, poffet in effe difcrimen, effet prohibitio aliqua canonica; vt advertit Barbofa n.5. at prohibitio canonica nulla eft de bonis patrimonialibus, feu quafi, fed tantum de bonis ex redditibus, feu fructibus Ecclefię; quibus omnino carent Titulares; vt patet ex prædictis Conftitutionibus Paulij, & Pij, & textum in Cap. *Præfenti*, & in Cap. *Qua fæpé*, in Cap. *Epifcopus*. 12. q. 1. & fæpè alibi.

Fulcitur affertio noftra eleganti decifione textus. Cap. Statutum. 81. q. 1. *Statutum eft, & rationabiliter fecundum SS. Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ Monafticæ profefsionis abfolvit, & facra Ordinatio de Monacho Epifcopum facit, veluti legitimus hæres, paternam fibi hereditatẽ poftea iure vendicandi poteftatem habeat.* Vbi valdè penfanda funt, vt ait Villalobos, verba illa: *Abfoluit* Ergo non fopita, fed extincta funt illa vota. Item pręme, ly: *Legitimus heres*. Expende illud: *Sibi vindicare*. Vindicare enim eft fibi acquirere, folis veris, & abfolutis dominis competit. l. in rem. ff. de reivindic. Pende etiam illud: *De Monacho Epifcopum facit.* Favet affertioni noftræ, quòd ex Machado tom.2 afferit. D. Fr. Acatius March. de Velafco nunc Epifcopus Orcellenfis. tom 2. refol. 304. Videlicet, quòd omnia, quæ dixerat de Epifcopo Sæculari, pariter intelligenda veniunt de Epifcopis Religiofi, fine vlla prorfus differentia. Dixerat autem paulò ante, Epifcopum de bonis fua induftria acquifitis, non intuitu Dignitatis, poffe teftari, ex Solorz. tom. 2. de iur. Ind. lib. 3. cap. 10.

Animofius loquitur pro noftra fententia doctifsimus P. Francifcus Pellizarius, Societatis Jefu, in fuo Manuali Regularium tom. 1. tract. 4. cap. 2. num. 367. Doctor D. Petrus Aingo Ezpeleta, Canonicus

cus Magistralis Scripturæ in Cathedrali Asturicensi, ibidemque Provisor, & Vicarius Generalis, in suis selectis, & practicis resolutionibus de casibus tempore mortis occurrentibus, quas edidit Matriti anno 1660. hanc exagitat quæstionem, tractatu 12. resol. 14. cuius titulus hic est: *Vtrùm Episcopi Religiosi, qui è statu Religionis ad Episcopatum sunt promoti, possint facere testamentum?* Relictis varijs adnotationibus devenio ad id, quod citatus Author ait num. 6 *Priùs de bonis à Religioso acquisitis ante Episcopatum, & in Religione existenti agendum est. Et hæc adhuc sunt in duplici differentia. Alia sunt etsi intra Religionem habita, consecuta non gratia illius, sed respectu habito ad Episcopatum post eius promotionem, videlicèt, quæ gratia Religiosi in Episcopatum erecti, ei sunt liberè donata à sæcularibus, vel sua opera comparata, accommodata, vel mutuata ad expensas Bullarum, ornatus domus, ad consecrationem, transportationem, & cætera in hoc eventu passim occurrentia. De huiusmodi ergò bonis posse Episcopum liberè disponere ad prædictos vsus pios, & alios honestos, tam in morte, quàm in vita, & veriùs, & probabilius iudico, & sic in facti contingentia consului, & sic video practicari, & de illis ab Episcopis Religiosis testari absq; vlla Pontificis licentia, exceptis bonis ad Oratorium, & Pontificale expectantibus, quæ ex dispositione Pontificum, imo ex iure antiquo ad Ecclesiam Cathedralem pertinent. Et de huius speciei bonis videntur loqui DD. allegati, quamvis in terminis de illis in nullo eorum, & aliorum, quos ego viderim, fiat hæc distinctio.* Hoc probat latè dictus Espeleta: & postea n. 14 loquens de sententia probabili asserente Episcopum Religiosum absolutum esse à voto paupertatis, sic discurrit: *Vndè stante probabilitate huius sententiæ, licitum est Episcopis Religiosis testari de bonis liberè donatis, propria opera, aut labore comparatis, de quibus supra egimus; eodem modo, quo id liceat Episcopis sæcularibus. Quia sicut ad donandum in vita, sat est dictum dominium, imo sola administratio libera, sic ad donandum in morte. Et quidem iurisperitis, quorum meminit Basseus, ex hac gradiendi via, inferunt Episcopum Regularem renunciationem suæ legitimæ factam ante emissionem professionis, servatâ formâ Concilij Tridentini, posse revocare. Hæc etsi aliqua probabilitate non careant, probabilior iuri, & rationi conformior, videtur opinio communior asserens [vt supra vidimus] Religiosum videlicet Episcopum non desinere esse Religiosum, nec solvi à vinculo substantiali voti paupertatis, nec ad hoc est necessarius recursus ad disponendum in vita, & in morte de prædictis bonis, de quibus Episcopi sæculares possunt disponere modo dicto.* Hæc vltima verba prædicti Doctoris Espeleta videntur coincidere cum sententia Pellizarij asserentis Episcopos Regulares posse testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria comparatis, non secùs ac possunt Episcopi sæculares, idque etiam si dicatur eos non eximi à voto paupertatis. Et quamvis in ista resolutione. 14. citata non nominet Episcopum Titularem, id favorabilius est nostræ asser-

assertioni, nam loquitur indistinctè, de Titulari, & non Titulari: & si potest de prædictis bonis testari non Titularis, qui habet Ecclesiam, multo magis Titularis, qui nulla bona habet ab Ecclesia.

Et quamvis in dicto num. 6. dicat iste Author, quòd bona pertinentia ad Oratorium, & Pontificale, de his non potest testari Episcopus, quia hæc pertinent ad Ecclesiam Cathedralem ex dispositione Pontificum, & ex iure antiquo; hoc non intelligitur de Titularibus Episcopis, quia non habent Ecclesiam; & sunt comparato ex sua industria, & labore in exercicio suorum Pontificalium, vel mutuata ab alijs, vel ex suo patrimonio. *Ex quibus constat* [ait Pellizarius) *Episcopos Regulares posse testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria comparatis; non secùs ac possunt Episcopi sæculares.* Idque etiam si dicatur (nota vigilantes] eos non eximi à voto paupertatis. Dixi sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Fr. Didacus de Gatica
Episcopus Vtticensis.